Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

patitur uidet; nudus quia prima stola perdidit. sed peius quia nec se perdidisse cognoscit. Quia ergo ut diximus egestas reproborum est defraudatio meritorum; recte de leuiathan dicitur: faciem eius precedet egestas.

Quid sit quod egestas faciem illius precedere dicitur.

Nemo enim cognitioni eius iungitur, nisi prius uirtutum diuitiis denudetur. Prius enim bonas cogitationes subtrahit, et tunc eas aptiore noticiam sue iniquitatis infundit. Egestas ergo faciem illius precedere dicitur; quia prius facultas uirium perditur: ut quasi per familiaritatem postmodum eius noticia cognoscatur. uel certe quia multis ita fraudulenter surripit. ut ab eis deprehendi nequaquam possit. et sic eorum uirtutes euacuat. quatinus astutie sue malitiam non ostendat. Faciem eius egestas preire perhibetur. Ac si aperte diceretur; quos cum insidians temptat. prius quam uideat spoliat. Hinc est enim quod de effraim per prophetam dicitur: Comederunt alieni robur eius. et ipse ignorauit. Alieni quippe intelligi apostate spiritus solent. qui robur comedunt. cum uirtutem mentis peruertendo consumunt. Quod effraim et pertulit et nesciuit. quia in temptatione malignorum spirituum et robur animi perdidit. et hoc ipsum quia perdiderit non intellexit. Leuiathan ergo faciem egestas antecedit; quia negligentium mentes ante temptando spoliat. quam eius insidias is qui temptatur agnoscat. Per hoc ergo quod dictum est in collo eius morabitur fortitudo uirtus uiolentie eius ostenditur. per hoc uero quod subditur et faciem eius precedit egestas. fraudis subtilitas designatur. quamuis deo quod eius faciem egestate preire cognoscimus. suppetit aliud quod tam tristius exponamus.

VI. Per fortitudinem leuiathan uirtus obedi[illegible] uiolentie ostenditur: per egestatem uero fraudis subtilitas.

Terribili quippe ordine dispositionis occulte prius quam leuiathan iste in illo dampnato homine quem assumit appareat. a sancta ecclesia uirtutum signa subtrahuntur; nam prophetia absconditur. curationum gratia aufertur. prolixioris abstinentie uirtus imminuitur. doctrine uerba conticescunt. miraculorum prodigia tolluntur. Que quidem superna dispensatio nequaquam funditus subtrahit. sed non hec sic prioribus aperte ac multipliciter ostendit. Quod tam mira dispensatione agitur. ut una ex re diuina pietas simul et iustitia compleatur. Dum enim subtractis signorum uirtutibus sancta ecclesia uelut abiectior apparet.

De ordine dispositionis, et signis antichristi.